

Die 21 Maii
S. Helenæ
 Memoria

Ant. ad introitum

Gal 6, 14

Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo. (*T.P.* Allelúia).

Collecta

Dómine, qui erga crucis mystérium
 beátam Hélenam tanta devotióne ditásti,
 fac ut, illius intercessiÓne et exémplo,
 Filium tuum crucifixum in córdibus nostris perpétuo deferámus.
 Qui tecum vivit.

LECTIO PRIOR

« *Mulier timens Dominum ipsa laudabitur* »

Lectio libri Proverbiórum

31. 10-13. 19-20. 30-31

Mulierem fortem quis invéniet? Procul et de últimis finibus prétium eius. Confidit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit; reddet ei bonum et non malum ómnibus diébus vitæ suæ; quæsvit lanam et linum et operáta est consilio mánuum suárum.

Manum suam misit ad fórtia, et dígití eius apprehendérunt fusum; manum suam apéruit ínopi, et palmas suas ex-téndit ad páuperem.

Fallax grátia et vana est pulchritúdo, múlier timens Dó-minum ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera eius.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 83, 2-3. 4. 5 et 10. 11 (R. Ap 21, 3b)

R. Ecce tabernáculum Dei cum homínibus (*vel* Allelúia).

- 1 Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum.
 Concupiscit et déficit ánima mea in átria Dómini.
 Cor meum et caro mea exsultavérunt in Deum vivum. *R.*
- 2 Etenim passer invénit sibi domum,
 et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos:
 altária tua, Dómine virtútum, rex meus et Deus meus. *R.*
- 3 Beáti qui hábitant in domo tua,
 in perpétuum laudábunt te.
 Protéctor noster, áspice, Deus,
 et réspice in fáciem Christi tui. *R.*
- 4 Quia mélior est dies una in átriis tuis super mília,
 elégi ad limen esse in domo Dei mei,
 magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum. *R.*

ALLELUIA

cf Ps 68, 10 et Mt 21, 13

R. Allelúia *℣.* Scriptum est: Domus mea domus oratiÓnis vocábitur, dicit Dóminus, quóniam zelus domus tuæ comédit me. *R.* Alleluia.

vel

R̄. Allelúia V̄. Per lignum servi facti sumus, et per sanctam crucem liberati sumus; fructus arboris seduxit nos, Filius Dei redemit nos.

R̄. Allelúia.

EVANGELIUM

« Oportet Filium hominis multa pati »

✠ Lécio sancti Evangélii secúndum Marcum 8, 31-32a. 34

In illo témpore :

Cœpit Iesus docére discipulos suos: « Opórtet Fílium hóminis multa pati et reprobári a senióribus et a summis sacerdotibus et scribis, et occídi et post tres dies résúrgere » ; et palam verbum loquebátur.

Et convocáta turba cum discipulis suis dixit eis: « Si quis vult post me sequi, déneget se ipsum et tollat crucem suam et sequátur me ».

Verbum Dómini.

Super oblata

Réspice quas offérimus hóstias, omnípotens Deus, in beátæ Hélienæ commemoratióne, et præsta ut, qui dominicæ passiónis mystéria celebrámus, imitémur quod ágimus.

Per Christum.

Ant. ad communionem

1 Cor 2, 2

Non iudicávi scire me áliquid inter vos nisi Iesum Christum et hunc crucifixum (T.P. Allelúia).

Post communionem

Sacraménta quæ sumpsimus, Dómine, illum nobis spíritum pietátis infúndant quo beáta Héliena, in memóriam Unigéniti tui, aédibus spléndidis Sacra Loca decorávit. Qui tecum.

